



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput II. Ex (a) eodem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

patronus ipsius monasterii potest ipsum Ecclesiam, vel alii pio loco, cui voluerit, donare, dummodo in laicorum habitationem, vel diversorium non convertatur.

CAPUT II.

Ex (a) eodem.

[b] Presbyter cum [c] diocesim tenet, de eis, quæ superemerit, ad ipsius Ecclesiam [d] nomen scripturam faciat, aut ab eius ordinatione discedat.

NOTA.

1. (a) *EX eodem* In prima collectione, *sub hoc tit.* cap. 2. legitur, *Ex Concilio Arausico* Rectius tamen Burchardus *lib. 3. Decreti, cap. 119.* Carnot. 3. p. *Decreti, cap. 95* Gratianus *in cap. ult. 12. q. 4.* citant verba hæc ex Concilio Agathensi, *can. 54.* & merito; nam in ipso Concilio post canonem 53. relatum à Gratiano *in cap. quicquid 12. q. 2.* eadem serie rerum Ecclesiam retentâ sub hoc summario de eisdem, ut quicquid emerint, in nomine comparent Ecclesiam, referuntur illa verba: *Presbyter dum diocesim tenet, de his que emerit, ad Ecclesiam nomen scripturam faciat, aut ab eius, quam tenet, Ecclesia ordinatione discedat.* Eadem verba reperiuntur *in can. 8. Concilii Epau-nensis.* Concilium hoc Agathense, temporibus Alarici Regis Arriani, auctoritate Cæsarii Arelatensis Episcopi, Provincia Primatis celebratum fuit ad collapsam ecclesiasticam disciplinam restituendam, ut constat ex præfatione ipsius Concilii; & Cæsarium in eo præfuisse constat ex canone 73. Concilii Meldensis, ibi: *Sanctus Cæsarius Ecclesiam Arelatensem, cum aliis 35. Episcopis, omnes inquirunt: Deinceps clerici, sive laici, Indorum convivium evitent* Congregatum fuit anno 506. 3. idus Septembris.
2. (b) *Presbyter.* Id est, Episcopus, ut in textu antecedenti.
3. (c) *Diocesim.* Diocesim in notitia Imperii, & passim *in Imp. constit.* accipitur pro administratione multarum simul provinciarum, quæ in unum coactæ per Præfectos Prætorio, & eorum vicarios regebantur, *l. 14. C. de fund. patrim.* ibi: *Omnes qui in quacunque diocesi, aut quacunque provincia, vel civitate* Et *l. 9. de legat. & decret. legat. C. Theodos.* ibi: *Sive integra diocesis in commune consuluerit, sive singule interesse voluerint provincia, convenire.* Sic etiam in actis Concilii Constantinopol. *1. can. 2.* & in actis Concilii Ephesini: *Episcopi ex diversis diocesibus, ac provinciis congregati.* Et *can. 8.* eiusdem Synodi: *Istud autem, & in aliis diocesibus, & que sunt ubique provinciis servabitur* Et in Chalcedon. *can. 9. & 17.* & ibi Balsamon: *Diocesis est, que multas sub se habet provincias* Innocentius I. Romanus Pontifex *in epist. ad Alexandrum Antiochenum Episcopum,* quæ inter illius decre-

ta extat in codice Canonum Ecclesie Romanæ, *cap. 45.* Revolventes auctoritatem Nicenæ Synodi, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, quâ super diocesim suam & prædictam Ecclesiam, non super aliquam provinciam, recognoscitur constitutum. Et *l. 34. C. de Episc. aud. Africanæ* etiam diocesim meminit Iustinianus *Novel. de Africanæ Ecclesia, ad Ant. Solomonem Pont. Africa. & l. unica § 5. & 7. C. de officio Præf. Præf. Afric. & de omni ejusdem diocesis statu:* & Vvillelmus Tyrius *lib. 13. bel. sacr. cap. 1.* Hincmarus Episcopus Rheimensis diocesis *cap. 4. ibi: Sancti Romana Ecclesia plures Metropoliticos in speciali sua diocesi habet. Similiter & Alexandrina Ecclesia in sua diocesi. Sed & Antiochena Sedes nonnullos Metropolitanos in sua diocesi habet.* Interdum tamen diocesis vox pro provincia usurpata est, ut apud Hincmarum *epist. 5. Dilectis fratribus, & venerabilibus Episcopis Rhemorum diocesim.* Et *epist. ad Nicolaum Pontificem Romanum. Non solum diocesis, verum etiam parochia mea, inter duo Regna, sub duobus Regibus habetur divisa.* Nonnunquam etiam accipitur in notione ea, quâ hodie sumitur, pro Episcopatu, seu territorio Episcopi, ut apud Sidonium Apollinarem *lib. 7. epist. 16.* *Ita populo excessu Pontificum orbato tristis intercisæ fidei desperatio premit, nulla in desolatis cura diocesibus, parochiisque.* Et passim *in collat. Carthag. cap. 65. 117. & 125.* Interdum & pro parochiis, quæ multe in diocesi, ut *hic, & can. 53. hujus Codicis supra* Vide Sirmundum *in notis ad Sidonium,* & Ioannem Filescum *lib. de paroc. orig. cap. 1. ad finem.* Morinum *lib. 1. exercit. cap. final.*

(d) *Ad Ecclesiam nomen.* Id est in Ecclesia nomen emat, ut *in l. 2. ff. quando ex factis* cur. nam licet quomodocunque ematur, ad jus Ecclesie spectet; tamen ut omnis litis occasio amputetur, & facile constet ex pecunia Ecclesie, vel ejus fructibus id emptum esse, jubent Patres, ut instrumentum nomine Ecclesie scribatur, quia tali instrumento standum est, & ei acquiritur esse, cujus nomine confectum est, creditur, *l. cum precibus, C. de probat.* Apulejus *in apolog. ibi: Pudens ille nomen in tabulis esse* Ubi notavit Genulis *fol. 485.*